

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

IN FESTO MICHAELIS ARCH- ANGELI.

Evangelium Matth. 18. v. 1. -- 11.

EXORDIUM.

Lectulum Regis Salomonis ambi-
runt olim sexaginta fortes, ex for-
tissimis Israel; omnes tenentes
gladios, & ad bella doctissimi:
Uniuscujusque ensis super femur suum,
propter timores nocturnos, Cant. 3. v. 7. 8.

Hæc mysticè exponemus.

Quælibet fidelis anima; spiritualis lectulus
est, in quo *caelestis Salomo* Christus Jesus
requiescit, per fidem enim habitat in cor-
dibus nostris, Eph. 3. v. 17. fortes, qui lectu-
lum ambiunt, sunt S. Angeli, hi enim castra
metantur in circuitu, timentium Domi-
num, Psal. 34. v. 8. & protegunt nos contra
potestatem tenebrarum, Col. 1. v. 13. ut si-
ne timore & periculo dormire possimus,
unde dicuntur potentes virtute, Pl. 103. 20.

Magna hæc est gratia, & amplum be-
neficium, quod meritò grato animo
agnoscamus oportet.

Celebramus anniversariè tria festa so-
lennia: Festum Incarnationis Christi, Fe-
stum Paschatos, & Festum Pentecostes.

Festum Nativitatis Christi, inservit nobis
contra immundiciem peccaminosæ con-
ceptionis & nativitatis nostræ. Nam ubi
venit plenitudo temporis, misit Deus Fi-
lium suum, factum ex muliere, factum sub
lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret,
ut adoptionem filiorum reciperemus, Ga-
lat. 4. v. 4. 5.

Festum Paschatos, facit contra horribilem
mortis adspæctum. Scimus enim, quod,

qui suscitavit Jesum, & nos per Jesum sus-
citaturus sit, 2. Cor. 4. v. 14.

Festum Pentecostes, valet contra impoten-
tiam in bonis operibus. Spiritus enim San-
ctus adjuvat infirmitatem nostram, nam si
quid oremus, sicut oportet, nescimus: ipse
postulat pro nobis gemitibus inenarrabi-
libus, Rom. 8. v. 26.

Quia verò & à *sanctis Angelis* per totum
annum innumera beneficia accipimus,
Majores nostri *hodiernum Angelorum festum*
ordinarunt, ut antam habeamus Deo gra-
tias agendi, ut qui non modo nos curat,
sed & Angelos constituit vigiles & custo-
des nostros, in vita & in morte. Unde non
immeritò *Clausula omnium Festorum*
dicitur.

Nos Instituti nostri memores vide-
bimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegetis.

IN Papatu multa miranda narrantur de
Archangelo Michaële, ita ut planè Dea-
strum ille constituatur, in cujus honorem
delubra ædificantur, Missæ leguntur,
quique in variis adversitatibus religiose in-
vocatur, contra expressum Dei verbum,
quod non Angelos, sed Dominum exerci-
tuum

Uuuu

tuum